



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

10. Dies Junii. Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. S. August. L. 10. Conf. c. 31.
-
-

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

nius.
d Ve-
suavi-
us, &
itus.
; deli-
culis,
olutis
atrum
uenti
um illi
(a)
ut qui
, cum
abem
atum
deli-
e ina-
lunt,
velli-
com-
cetur
sfer-
pul-
st o-
Bre-
odo-
bia,
os o-
ini-
sam
mit-
ant.

Junius.

Tessera.

443

tant. Hinc cui allucet è cælo divinæ gratiæ splendor,
huic invitus est exquisitus in corpore odor. Suffra-
gatur mihi Poeta, dum ait :

Est animo luscus, cui fragrat corpore muscus.

10. DIES JUNII.

Hoc me docuisti , ut quemadmodum
medicamenta , sic alimenta sumptu-
rus accedam. S. August. L. 10. Conf. c. 31.

Gustus. I.

UTINAM sub tanti Doctoris
magisterio doceremur acci-
pere fercula ut pharmaca , &
dedoceremur pulpâ , & pingui
aruinâ corpus farcire! Gustus , est inter sensus sen-
suum infimus , totus materiæ immersus , & communi-
nis cum belluis. Nulli minus gustant , quâm suavis sit
Dominus , quâm mancipia ventris , quâm delicati illi
voluptatum aucupes , lurcones , & liguritores astuti ,
qui Sybariticæ cænas odorantur , magisque suspi-
ciunt palatum quâm cæli palatum. Quid magis pro-
brosum homini , qui invitatus est ad canam illâ ma-
gnam , qui toties manducat panem Angelorum , cui
proponitur gustandum illud cœleste manna , quod in-
se continet omne delectamentum , indulgere suo ge-
nîo , quo hebescat acies ingenii , quâm in cibum , ac
potione se totum effundere , lautiarum genus o-
mne conlectari , ventris suavitatibus inhiare , in pati-
nas mentem , ac mentem avidissimè immitrere , gu-
stum omnē in cupediarum appetitione ultrâ modum
explere , conviviorum sociamenta , dulcemque trage-

matum

maturi varietatem, studiosa investigare; Illis scilicet, corporis colluvione stupidi, fracti epulis¹, tanquam opimi boves vicos obambulare, & omnia ructibus contaminare; (*a*l quorum Deus venter est, qui nullos sibi magis Deos cupiunt esse propitios quam patellarios.

II. Qui hujusmodi humilium deliciarum sunt studiosi, nunquam illi solis, aut lunæ magnitudinem, vel astrorum domicilium, aut errantium stellarum lucidos globos, perenni motu reciprocantes, sed cum illo de comedìa paralito, culinarum fumos, & nidorum curiosissimè observant. Quorum palæstra est culina, gymnasium est triclinium, quibus lanceas sunt enses, ollarium strepitus est lituus: qui tunc tantum sudant, dum manducant, & potant, quibus nullus est frequentior locus, quam focus, ubi laborat coquus. Tales merentur expungi ex albo hominum, & adscisci in classem pecudum. Ut gustes amaritiem, qua oritur ex indulgentia gustus, ut hæc tecum expende. Gustus etiam cum vorat, voluptatem tantum per transenam libat, ita ut tantum sit in transitu, & momentanea: cuius tamen remanent reliquæ gravissimæ, gravedo capitis, indigestio, eructatio, crapula exhalatio, hebetudo mentis, nausea stomachi, deinde morborum iliades, ex illis dolores, ex doloribus tandem immatura mors. Ut meritò dubites, plures sustulerit in aliena manu hostilis gladius, an in propria cantharus. Deinde illa ipsa, quæ in cursu est voluptas, nisi adhibetur modus, fatigatur: nimis currit, & nisi interpelletur, ut respiret, marceret languida; si continua est, nulla est. Eò jam processit inglu-

(a) *Psal. 3.*

Junius.

Tessera.

445

ingluvies nostra, ut voluptatem omnibus etiam pecoribus communem, novis artificiis irritet. Nulla jam est voluptas, quam non corruptit ars; etiam pro ventre est disciplina. Jam tam sumus delicati, ut pudeat sine ingenio indulgere genio.

III. Non satis est cibum coquere, oportet & pingere. Hinc quædam auro, quædam argento illinuntur. Quid palato cum colore? In aromatibus aliquando raritatem pluris æstimamus, quam suavitatem in ferculis, sumptum magis, quam saporem. Ità ipsas voluptates naturales damnavimus magnis pœnis, ut iam non liceat eas percipere sine pretio, sine gravibus impensis: sine lancibus argenteis non sapit cibus: insulsum est sal, nisi fuerit in artificio salinario. Vinum non pluris æstimatur, quam aqua, nisi bibatur in gemma. Quod gratis natura dedit, sumptuosum facimus. Intemperantiam, hebetissimam voluptatem, communem brutis animantibus, nobilitare volumus ingenio, pretio, artificio. Quasi verò non æquè facile sitim extingueret fontis aqua, pandâ excepta manu, quam massicum ingenti comparatum quæstu? Ligna quæ tradis igni, annè sanus eris, si pingas, si inaures? Consumenda sunt, irritus hic sumptus est. Cur cætera quæ etiam consumis, ut esculenda, poculenta, vis corrumpere sumptibus? Jam non delectat cibus, nisi caro constet. Nulla fcula sunt chara, nisi cara, & rara. Illud tibi certò persuadeas; nullus minùs est sui Dominus, quam qui suo servit abdomini. Dictis album calculum adjicit Poëta:

Officies menti, dans pingua fcula ventri.

II. DIES